Reel Contents

Reel Contents (2)

11. Heubach, C. C. / Commentatio de politia Romanorum seu veteris ...
12. Fröhlich, J. von Goh. / Ueber die in Demosthenes' Rede über die ...
13. Brückner, K. A. F. / De tempore et ordine orationum Olynthiarum ...
14. Günther, G. F. K. / De usu praepositionum apud Homerum
15. Lucas, C. W. / De vocibus Homericis in [moros] desinentibus ...
16. Lubker, F. / Zur Charakteristik des Horaz
17. Klinkmuller / De virtutibus nonnullis, quae causae erant potentiae ...
18. Grunert, J. A. / [De suffragio in Lysiae orationibus]
19. Heimbrod / Titi Flavii Vespasiani Romani imperatoris vita
20. Liebenow / De Belli servilis causis et origine

Reel Contents (3)

21. Liedtki / Der Delphische Apollontempel seiner ...
22. Hudemann, E. E. / Hamilcars Kampf auf Hercte und Eryx und der ...
23. Heinekamp, R. / De ethica vi ac natura operum Q. Horatii Flacci
24. Kayser, W. C. / Observationes criticae in primum ... Pars. I
25. Kayser, W. C. / Quaestionum tragicarum pars 1 : fragmenta ...
26. Kayser, W. C. / Observationes criticae in primum ... Pars. II
27. Schmalfeld, F. / Commentationis de fato Homerico particula I
28. Muller, P. R. / Zur Kritik des Lysias
29. Ogienski / Welches ist der Sinn des platonischen [ta autou prattein]?
30. Schneider, C. E. C. / Car. Ern. Chr. Schneideri De interpretandis ...

Reel Contents (4)

31. Passow, F. / Francisci Passovii quaestio de vestigiis coronarum ...
32. Stoecker, F. / Ferdinandi Stoeckeri Dissertatio de Sophoclis et ...
33. Langewiesche, F. / Germanische siedelungen im nordwestlichen ...
34. Kottmann, M. / De elucutione L. Junii Moderati Columellae [Progr.]
35. Kåpetsch, G. / De differentia orationis Homericae et ...
36. König, F. S. Chr. / De Cicerone in Verrinis artis operum aestimatore ...
37. Kolster, W. H. / Ueber die Episteln des Horaz, welche ersichtlich ...
38. Kolster, W. H. / Erklärung der IX. Epode des Horaz
39. Könitzer, J. S. / Vorstellungen der Griechen über die Ordnung und ...
40. Krummacher, M. / Religio apud Graecos quam vim habuerit ad ...

Reel Contents (5)

41. Krieger, J. P. / Varietas lectionis ad M.T. Ciceronis Tusculanas ...
42. Kösters, H. / Das parmenideische sein im verhältnis zur ...
43. Körtge / Homer als erzieher ...
44. Kuehne, G. / De aoristi passivi formis atque usu homerico. Dissertatio ...
45. Kreuser, A. / Die Briefsammlung des jüngeren Plinius als Schullektüre
46. Kraz, H. / Die sogenannte unwillige oder missbilligende frage mit dem ...
47. Jordan, J. / In aliquot Plutarchi vitae Ciceronianae capita commentarius
48. Ritschl, F. W. / De Plauti Bacchidibus disputatio
49. Roth, K. L. / Grammaticae quaestiones V. e Cornelio Tacito ...

Jahres-Bericht

über das

Königliche Katholische Gymnasium zu Glaz

womit

zur August-Prüfung 1841

ehrerbietig einladet

Dr. Joseph Müller,
Direktor.

Dr Schramm

Voran gehen:

ANNOTATIONES AD LOCOS NONNULLOS LEGUM PLATONICARUM. (Part. I.)

Scripsit
Dr. [redacted]

Breslau,
gedruckt bei Grass, Barth und Comp.

Quum munus examinis publici sollemnia indicendi sero atque extra ordinem mihi esset traditum, nec scholasticis insuper negotiis satis occupato ac distento tantum mihi temporis otiique suppeteret, ut libellum de re quadam ad litteras pertinente integrum ac suis numeris absolutum conscriberem: operis cujusdam ambitu majoris, quod post longiorem intercapedinem tristi quodam casu illatam denuo susceptum vires meas novissime exercuisset, lexici, inquam, Platonici locupletioris particulam certe, quam possem diligentissime pertractatam elaboratamque doctorum virorum judiciis subjicere cogitabam. Sed dum parata dispono, nova paro, subsidia, quae praesto non erant, procul arcesso, nihil omitto, unde aliquem fructum percepturus mihi viderer, et materiae moles mirum quantum accrescit, opinione citius tempus, quod mihi concessum erat, exiguum praeteriit, ut inceptum opus ad umbilicum adduci posse desperarem. His angustiis inclusus, ac necessitate coactus, quum prope abesset statuta dies, ex iis, quae ad accuratiorem investigationem in adversariis meis collecta habebam, has qualescunque annotationes inter legendum subnatas expromere et in publicam lucem proferre ausus sum; non quo eas dignas aestimarem, ad quas viri docti animos adverterent, sed ut aliquo certe modo muneri tradito satisfacerem, quo plane detrectato verebar, ne suspicionem, laborem me voluisse subterfugere excitarem. Quae quum ita sint, spero, fore ut, si partes mihi impositas non explesse videar, aequos ac benevolos judices nanciscar.

ANNOTATIONES

AD

LOCOS NONNULLOS LEGUM PLATONICARUM.

Lib. I. pag. 643. D. ed. Steph.

> *Κεφάλαιον δὴ παιδείας λέγομεν τὴν ὀρθὴν τροφὴν, ἣ τοῦ παίζοντος τὴν ψυχὴν εἰς ἔρωτα ὅτι μάλιστα ἄξει τούτου, ὃ δεήσει γενόμενον ἄνδρ᾽ αὐτὸν τέλειον εἶναι τῆς τοῦ πράγματος ἀρετῆς.*

Extrema sunt verba, quae, quum idoneo sensu carere videantur, offensioni fuerunt interpretibus. Codices cum vulgata consentiunt omnes. Stephanus post *αὐτόν* comma posuit; veteres editiones Lovaniensis, Aldina, Basileensis utraque ita interpungunt: *ὃ δεήσει γενόμενον, ἄνδρ᾽ αὐτὸν τέλειον εἶναι, τῆς — ἀρετῆς*. Neutra ratio sensui succurrit; nec Ficinus quicquam subsidii praebet, qui vertit: *quae ludentis animum in amorem praecipue illius perducit, quod in virili aetate perfecte comparata virtute operis est acturus*. Cornarii autem interpretatio sensu prorsus caret. Astius ad verba praegressa *οἷ ἀφικομένους* respiciens aut *οὗ* aut *οἷ*, (quod posterius praefert) scribendum esse conjicit, ut sensus sit: *quo pervenire ipsum* i. e. *quod assecutum*

esse oportet, si perfectus in opere suo futurus est. Assentiuntur Heusdius (Init. philos. Plat. Vol. I. p. 150.) et Stallbaumius (comment. crit. p. 13.) Sed alia superioris loci, ad quem hunc nostrum conformatum vult vir doctissimus, videtur esse ratio. Sunt enim verba haec: *καὶ πειρᾶσθαι (χρὴ) διὰ τῶν παιδιῶν ἐκεῖσε τρέπειν τὰς ἡδονὰς καὶ ἐπιθυμίας τῶν παίδων, οἷ ἀφικομένους αὐτοὺς δεῖ τέλος ἔχειν.* His igitur ut illa congruerent atque esset, quo apte referri posset illud *οἷ* — ut altero loco sequenti *οἷ* bene respondet praegressum *ἐκεῖσε* — nescio, an scribendum fuerit: *ἢ τοῦ παίζοντος ἔρωτα ἄξει εἰς τοῦτο, οἷ...* quae ludentis amorem ad id convertet, quo... Cf. Civitat. lib. VII. p. 532. E. *αὗται γὰρ ἂν ἤδη — αἱ πρὸς αὐτὸ ἄγουσαι εἶεν, οἷ ἀφικομένῳ ὥςπερ ὁδοῦ ἀνάπαυλα ἂν εἴη.* Deinde non nego quidem, participium *γενόμενον* recte conjungi posse cum verbo *δεῖ,* quemadmodum loco superiori illud *ἀφικομένους* haud dubie ad *δεῖ* pertinet, ut haec per breviloquentiam quandam dicta sint pro: *οἷ ἀφικέσθαι αὐτοὺς δεῖ, ὥστε τέλος ἔχειν* (cfr. Civitat. l. IIII. p. 427. B. *καὶ ὅσα τοῖς ἐκεῖ δεῖ ὑπηρετοῦντας ἵλεως αὐτοὺς ἔχειν.* Men. p. 94. C. Euthyd. p. 282. E. p. 289. C) tamen inter utrumque locum id intercedere video discriminis, quod participium verbo *δεήσει* non antecedit, ut supra, sed postpositum est, quo significetur, non ad praegressa, sed ad sequentia esse referendum. Accedit, quod ad illa *ἄνδρ᾽ αὐτόν* participium quoddam requiri videtur.

At nulla opus est correctione; omnia sana sunt, si relativum *ὅ* cum *δεήσει* ita conjungitur, ut sensus sit: quod opus erit, ut ipse, ad virilem aetatem ubi pervenerit, perfectus sit in operis sui virtute. Quae ratio etsi a communi sermonis usu paullulum recedit, tamen exemplis non caret; cfr. Gorg. p. 491. D. *ἢ τοῦτο μὲν οὐδὲν δεῖ, αὐτὸν ἑαυτοῦ ἄρχειν, τῶν δὲ ἄλλων;* Theaet. p. 184. A. *δεῖ δὲ οὐδέτερα, ἀλλὰ Θεαίτητον ὧν κυεῖ περὶ ἐπιστήμης πειρᾶσθαι ἡμᾶς τῇ μαιευτικῇ τέχνῃ ἀπολῦσαι,* ubi vide interpretes. Genitivus autem *τῆς ἀρετῆς,* vix dubium est, quin a vocabulo *τέλειον* pendeat, quod etsi saepe cum praepositionibus *πρός* (Leg. l. I. p. 647. D. l. III. p. 678. B. l. IIII. p. 708. D. Alcib. I. p. 120. E. Theaet. p. 202. C.) vel *εἰς* (Phaedr. 269. E.) vel *κατά* (Timae. p. 30. D.) jungitur, tamen qua significatione h. l. usurpatum est, iis recte annumerari potest adjectivis, quae, quum peritiae, scientiae vel similem habeant notionem, casum genitivum adsciscere solent (cfr. Kühneri Graec. Gramm. Vol. II. § 530. hh. p. 187.)

Lib. II. p. 653. B.

Παιδείαν δὴ λέγω τὴν παραγινομένην πρῶτον παισὶν ἀρετήν· ἡδονὴ δὲ καὶ φιλία καὶ λύπη καὶ μῖσος ἂν ὀρθῶς ἐν ψυχαῖς ἐγγίγνωνται, μή πω δυναμένων λόγῳ λαμβάνειν· λαβόντων δὲ τὸν λόγον συμφωνήσωσι τῷ λόγῳ, ὀρθῶς εἰθίσθαι ὑπὸ τῶν προσηκόντων ἐθῶν· αὐτῆς θ' ἡ ξυμφωνία ξύμπασα μὲν ἀρετή· τὸ δὲ περὶ τὰς ἡδονὰς καὶ λύπας τεθραμμένον αὐτῆς ὀρθῶς, ὥστε μισεῖν μὲν ἃ χρὴ μισεῖν, εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς μέχρι τέλους, στέργειν δὲ ἃ χρὴ στέργειν, τοῦτ' αὐτὸ ἀποτεμὼν τῷ λόγῳ καὶ παιδείαν προσαγορεύων, κατά γε τὴν ἐμὴν δόξαν ὀρθῶς ἂν προσαγορεύοις.

Sic locus vulgo scribitur. Pro *παραγινομένην,* quod legit etiam Eusebius (Praepar. Evang. L. XII. p. 591. D. ed. Viger, p. 347. ed. Steph. nostrum locum laudans) libri Florentini tres habent *παραγιγνομένην* et codices Bekkeri si non omnes — nam ipse nihil varietatis indicavit — at certe Parisiensis A, qui nusquam aliter, ut Bekkerus ad Civitat. l. I. p. 329. D. testatur. Restituit jam Astius, obsecutus grammaticorum praeceptis (cfr. G. Dindorf. ad Stephani thesaur. Vol. II. p. 620. ed. Par.) optimorum Platonicorum codicum (Bodleiani et Parisiensis) auctoritate confirmatis. Deinde *πρώτην* habent Palatinus (f) et Vaticanus (*Ω*), quorum in posteriori tamen superscriptum est *πρῶτον,* et Florentini tres; iidem libri *δή* post *ἡδονή* exhibent, quibus accedunt Angelicus (ν) Ricardianus (𝔥) et Vatic. (𝔯). Sed nihil mutandum est; nam *πρῶτον* ad participium pertinere et verborum collocatio et sensus docet. Dicitur disciplina virtus, quam primo, statim ab initio adipiscantur pueri, i. e. antequam ratione uti ac veram boni malique percipere possint cognitionem. Sic paullo ante *καὶ ἐν οἷς ἀρετὴ ψυχῇ καὶ κακία παραγίγνεται πρῶτον, ταῦτ' εἶναι* sc. *ἡδονὴν καὶ λύπην λέγω* i. e. quum primum animo humano inesse incipit virtutis aut vitiositatis ratio aliqua, ea oritur e doloris atque voluptatis sensu, ut recte explicuit Stallbaumius. *Δή* autem ab iis, qui vim ac significationem, qua particula *δέ* h. l. praedita sit (cfr. Ast. ad h. l. et Hartung. doctr. partic. tom. I. p. 162.) non intellexerunt, scriptum eademque de caussa ad *ἀρετήν* plene interpunctum esse videtur, quod bene correxit Astius. Mox pro *ἄν* habet Eusebius *ἐάν,* haud dubie ab ipso e conjectura repositum, (quod etsi multo frequentius illo est, tamen monosyllabo quoque utitur Plato, vid. Schneider. ad Civit. Vol. III. p. 120. a.) et paullo post *λόγον λαμβάνειν,* Vatic. (𝔯) vitiose *ἐν λόγῳ,* deinde Florent. (o) *τῶν λόγων,* quod tamen ab eadem manu correctum. Astius ex Eusebio recepit *λόγον,* suadentibus Vigero (ad Euseb. p. 57.) et Boeckhio (in Min. p. 125.) qui hanc dicendi formulam *λόγῳ λαμβάνειν* satis vulgarem esse concedens in eo offendit, quod accusativus, qui semper aut addi aut intelligi soleat, h. l. nec addatur nec intelligi possit,

statim autem sequatur *λαβόντων τὸν λόγον* eandemque locutionem Civitatis lib. III. p. 401. D., ad quem locum hic noster sit conformatus, eadem ratione usurpata reperiatur. Utramque formulam et *λόγῳ λαμβάνειν* et *λόγον λαμβάνειν* aeque esse usitatam Platoni constat, sed de utriusque usu, vi ac significatione paullo accuratius inquirere et disputare haud supervacaneum existimamus. Ad priorem dictionem quod attinet, primum tenendum est, duplici sensu ea uti scriptorem. Significat enim *in disputationem vocare, disputatione explorandum sumere, oratione persequi*, ut Leg. l. I. p. 638. C. *δοκοῦσί μοι πάντες οἱ λόγῳ τι λαβόντες ἐπιτήδευμα καὶ προθέμενοι ψέγειν αὐτὸ ἢ ἐπαινεῖν εὐθὺς ῥηθὲν οὐδαμῶς δρᾶν κατὰ τρόπον, ἀλλὰ ταὐτὸν ποιεῖν οἷον εἰ δή τις ἐπαινέσαντός τινος πυρούς, βρῶμα ὡς ἀγαθὸν, εὐθὺς ψέγοι.* Annotat quidem Astius, male interpretes *λόγῳ* de oratione s. disputatione cepisse, quum *λόγῳ λαμβάνειν* sit mente comprehendere (de qua significatione mox dicemus); sed totius loci sensus illam interpretationem flagitat. Recta enim quae sit disputandi ratio expositurus Socrates eos reprehendit, qui institutum aliquod disputatione explorandum sumentes — non mente seu cogitatione comprehendentes, quod plane absonum foret — vituperent id, simulac dictum sit, aut laudent, haud cognita exploratque ejus vi ac ratione. Articulus autem, quem desiderat vir doctissimus, quemque recte atque necessario additum videmus, ubi praesentem significat orationem seu disputationem, pronominis vi ac potestate praeditus, ut Sophist. p. 249. D. *ἆρ' οὐκ ἐπιεικῶς ἤδη φαινόμεθα περιειληφέναι τῷ λόγῳ τὸ ὄν;* Ion. p. 532. E. Leg. l. XII. p. 964. A. coll. Gorg. p. 460. C. 511. B., hoc loco non modo necessarius, sed ne aptus quidem videtur.

Eandem fere significationem nonnunquam habet simplex verbum *λαμβάνειν*, cf. Sophist. p. 261. C. et Phileb. p. 23. B., quo loco Stallbaumium sine caussa ex Heindorfii et Schleiermacheri correctione recepisse *ἀναλάβωμεν*, docuit Graser in specimine adversariorum in serm. Plat. p. 86.

Deinde *λόγῳ λαμβάνειν* est *animo comprehendere, mente ac ratione percipere* Parm. p. 135. E. *ἃ μάλιστά τις ἂν λόγῳ λάβοι καὶ εἴδη ἂν ἡγήσαιτο εἶναι.* Civit. l. VII. p. 529. D. Lach. p. 194. B. Timae. p. 29. A. quemadmodum *διανοίᾳ λαμβάνειν cogitatione percipere* Soph. p. 238. B. Parm. 143. A. 165. A. vel *νῷ καὶ διανοήματι* Leg. l. X. p. 898. E. vel *τῷ λογισμῷ* Parm. p. 130. A. Phaed. p. 79. A. Civit. l. VI. p. 496. D. vel *νοήσει* Civit. l. VII. p. 532. B. Timae. p. 28. A. vel *δόξῃ* Timae. p. 28. B. 52. A. dicitur, et simplex verbum *λαμβάνειν*, omisso *λόγῳ* vel *νῷ* nonnunquam usurpatur, ut Theaet. p. 145. E. *τοῦτ' αὐτὸ τοίνυν ἐστὶν ὃ ἀπορῶ καὶ οὐ δύναμαι λαβεῖν ἱκανῶς παρ' ἐμαυτῷ, ἐπιστήμη ὅτι ποτὲ τυγχάνει ὄν* et Phileb. p. 50. C. De altero Philebi loco p. 17. C., quem huc retulerunt interpretes, rectius statuisse arbitramur Graserum (l. l. p. 87.) et in Phaedro (p. 234. C.) illud *λόγῳ* ineptum et ex glossemate ortum videtur, ut recte monuerunt viri docti atque arguit Monacensis codicis scriptura.

Ad nostrum locum quod attinet, nemo infitiabitur, verba *λόγῳ λαμβάνειν* ea-

dem vi ac significatione, quam modo explicuimus, posita optime habere sensumque praebere aptum et commodum; accusativi autem praetermissione si quis offendatur, eum aut simplex *τὶ* aut ex praegressis *ἡδονὴ καὶ φιλία καὶ μῖσος* intelligere jubemus: *ἃ μὲν φιλεῖν δεῖ, ἃ δὲ μισεῖν,* hoc sensu: si voluptas et amicitia et odium recte innascantur puerorum animis, quum nondum ratione percipere possint, quae diligi quaeque odio haberi oporteat.

Ceterum haec difficultas, si qua est, non tollitur, etiamsi *λόγον* scripseris, quum ad hanc quoque locutionem *λόγον λαμβάνειν* semper fere objectum quoddam aut addatur aut sit intelligendum, ut mox ostendemus.

Significat autem *λόγον λαμβάνειν orationem sumere ab alio, ut ea utamur* Theaet. p. 161. B. *ἐγὼ δὲ οὐδὲν ἐπίσταμαι πλέον πλὴν βραχέος, ὅσον λόγον παρ' ἑτέρου σοφοῦ λαβεῖν.* Phaed. p. 85. C.; deinde *loquentis partes suscipere* (das Wort nehmen.) Civit. l. I. 337. E. *ἵνα Σωκράτης τὸ εἰωθὸς διαπράξηται· αὐτὸς μὲν μὴ ἀποκρίνηται, ἄλλου δ' ἀποκρινομένου λαμβάνῃ λόγον καὶ ἐλέγχῃ.* Men. p. 75. C; tum *rationem reposcere:* Soph. p. 246. C. *παρ' ἀμφοῖν τοίνυν τοῖν γενοῖν κατὰ μέρος λάβωμεν λόγον ὑπὲρ ἧς τίθενται τῆς οὐσίας ab utrisque igitur generibus reposcamus rationem de ea, quam statuunt, essentia.* Xenoph. Cyrop. l. I. 4. 3.; deinde: *rationem accipere* (Rechenschaft erhalten) Theaet. p. 180. A. et C. *παρὰ μὲν οὖν τούτων — οὐκ ἄν ποτε λάβοις λόγον.* Denique *rationem alicujus rei percipere, cognitionem adipisci, caussas, cur quid fiat, intelligere* et dicitur aut *περί τινος* Leg. l. I. p. 645. B. *ὅτι πόλιν καὶ ἰδιώτην, τὸν μὲν λόγον ἀληθῆ λαβόντα ἐν ἑαυτῷ περὶ τῶν ἕλξεων τούτων τούτῳ ἑπόμενον δεῖ ζῆν.* Theaet. p. 148. D. Epinom. p. 979. D.; aut *περί τι* Sophist. p. 221. B. *ἀλλὰ καὶ τὸν λόγον περὶ αὐτὸ τοὔργον εἰλήφαμεν ἱκανῶς,* aut cum simplici genitivo conjungitur Civit. l. VII. p. 534. B. *ἦ καὶ διαλεκτικὸν καλεῖς τὸν λόγον ἑκάστου λαμβάνοντα τῆς οὐσίας;* qui supplendus esse videtur Theaet. p. 208. D, et Civit. l. III. p. 402. A. *ὀρθῶς δὴ δυσχεραίνων τὰ μὲν καλὰ ἐπαινοῖ καὶ χαίρων καὶ καταδεχόμενος εἰς τὴν ψυχὴν τρέφοιτ' ἂν ἀπ' αὐτῶν καὶ γίγνοιτο καλός τε κἀγαθὸς, τὰ δ' αἰσχρὰ ψέγοι τ' ἂν ὀρθῶς καὶ μισοῖ ἔτι νέος ὤν, πρὶν λόγον δυνατὸς εἶναι λαβεῖν, ἐλθόντος δὲ τοῦ λόγου ἀσπάζοιτ' ἂν αὐτὸν γνωρίζων δι' οἰκειότητα μάλιστα ὁ οὕτω τραφείς;* ubi vide interpretes. Huc nostrum quoque locum referendum esse patet, neque negamus, ad sensum quod attinet, recte dici posse *λόγον λαμβάνειν,* quemadmodum paullo post legitur *λαβόντων τὸν λόγον* atque hanc conjecturam e Civitatis loco, nostro simillimo habere aliquid commendationis, sed quum inde hoc summum efficiatur, potuisse ita dicere scriptorem, alteram autem, codicum lectionem aeque bonum et commodum praebeat sensum, nihil mutandum esse censemus. Accedit quod non intelligitur, cur librarii formulam satis vulgarem ac tritam, eamque statim illatam corruperint, immo vero mirari subit, quod non ex illa propter orationis concinnitatem hanc mutaverint locutionem. Eusebius autem idem fecit, quod voluerunt interpretes: ex illo Civitatis loco correxit nostrum. Quae quum ita sint, vulgatam lectionem per se bonam,

omnium librorum auctoritate fultam et multis exemplis confirmatam recte tenuisse Bekkerum, Stallbaumium et Winckelmannum arbitramur, neque aliter legisse videtur Ficinus, qui vertit: *antequam ratione moveantur.*

Altera eaque major difficultas inest in verbis proxime sequentibus: *ὀρθῶς εἰθίσθαι ὑπὸ τῶν προςηκόντων ἐθῶν*, quae quo sint referenda, disceptatur. Vigerus ad Euseb. intelligi vult *τῷ* seu *διά τό*, Ficinum secutus, qui verba ita interpretatur: *ratione deinde praesente, rationi consentiant propter superiorem bonorum morum consuetudinem.* Contra Boeckhius statuit, infinitivum pendere e praegressis *συμφωνήσωσι τῷ λόγῳ* et *ὀρθῶς εἰθίσθαι* id ipsum esse, in quo juvenes cum ratione consentiant.

Assentiuntur Astius, qui verba ita explicat: *et si rationi assentiant, recte se assuefactos, h. e. educatos esse convenientibus institutis, h. e. si educationis suae causam et perspiciant et probent,* et Kappius, qui totus pendet ab Astii auctoritate (commentat. de Platonis re gymnastica p. 5. et Platons Erziehungslehre p. 3.). Sed hanc interpretationem neque per se probabilem et a mente Platonis prorsus alienam existimamus. Primum enim, quo minus verba ita capiantur, obstare videtur grammatica ratio, quae ad *ξυμφωνήσωσι* e praegresso verbo subjectum *ἡδονὴ καὶ λύπη* repeti jubet, ita ut, qui cum ratione consentiant, non sint pueri, sed voluptates et dolores. Confirmant hoc ea, quae paullo post de hac consensione disputantur, atque sibimet ipsi repugnare videntur interpretes, qui deinde alteram hujus consensionis partem statuunt disciplinam sive educationem ad voluptates et dolores spectantem. Probant hoc ea, quae lib. III. p. 696. C. leguntur: *οὐδὲ μὴν ὅν γε σοφὸν ἡμεῖς νῦν δὴ προὐθέμεθα, τὸν τὰς ἡδονὰς καὶ λύπας κεκτημένον συμφώνους τοῖς ὀρθοῖς λόγοις καὶ ἑπομένας.* Coll. l. II. p. 659. D. Deinde non liquet, quid sibi haec velint: si voluptates recte puerorum animis ingenerentur, quo tempore nondum rationem percipiant, hanc vero, quum perceperint, ei a s s e n t i a n t u r, se probe esse educatos? Nam *ξυμφωνεῖν τῷ λόγῳ*, qui possit idem significare, quod intelligere et probare, non equidem assequor. Denique nec disciplina in eo cernitur, ut quis intelligat, se recte esse educatum, quandoquidem haec intelligentia, ut ita dicam, ex omni disciplina recte instituta tractataque sua sponte nascitur, neque ideo rationi assentiri dicuntur pueri, quod hoc intelligunt, neque in hac cognitione, quod sciam, Plato ponit virtutem. At quae sit haec *ξυμφωνία*, haud difficile est ad intelligendum; est enim voluptatis et doloris sensus cum ratione concentus, unde perfecta nascitur virtus, quae ipsa est summa voluntatis cum ratione consensio (Civit. l. III. p. 401. D. p. 441. E., l. IIII. p. 430. E. p. 431. A. 440. E. — 441. D. 443. B. E., l. VIII. p. 548. B. 549. B. 554. E., l. VIIII. p. 591. B. Phaed. p. 93. E. Heusd. Init. phil. Plat. I. p. 147. Morgenstern. de morali Plat. doctrina p. 108. sq.)

Jam omnis disciplina quum id propositum habeat, ut quis abs teneris ad virtutis studium conformetur, (Leg. l. II. 659. D. coll. l. I. 643. D. E.) perfecta autem virtus ratione et cognitione nitatur (Phaed. p. 69. A. B. p. 83. B. Men. 89. A. Civit. l. VIII. p. 549. B. l. X. p. 619. C. Leg. l. I. p. 644. E — 645. B. l. III.

p. 688. B.) cujus puerilis aetas nondum sit particeps, (Leg. l. II. p. 659. E. Civit. l. III. p. 402. A.): voluptatis ac doloris sensus, quo infantes primo tanguntur ac moventur, quique primus est et virtutis et vitiositatis et quae inde pendet humanae felicitatis quasi fons (leg. l. I. p. 636. D. coll. l. II. p. 653. A. l. V. p. 734. D. p. 743. C.), ita excolendus et moderandus est, ut statim ab initio, quum nondum rationis sint compotes, diligant, quae diligenda, fugiant, quae fugienda sint; nacti autem quum sint rationem, atque intellexerint, quid bonum quidque malum sit, et cur illud appetendum, hoc fugiendum, sensus ille voluptatis et doloris consentiat cum ratione, ita ut pueri quasi inscientes in similitudinem et amicitiam et consensionem cum ratione inducantur (Civit. l. III. p. 401. E — 402. A.) et quum boni et mali recipiant cognitionem, illo gaudere, hoc dolere consueverint. Quod ubi factum fuerit, et ratio exculta hunc consuetudine acquisitum amorem adjuverit, ut, quae sensuum vi moti adamaverint, ea deinde vera persuasione diligant et amplectantur, perfecta nata est virtus, sensus natura insiti et bene exculti cum ratione et cognitione posthac accepta consensio. Disciplina igitur cernitur in naturali voluptatis dolorisque sensu recte exculto et conformato, et ipsa haec consuetudo, qua quis bonis et honestis gaudeat, malis turpibusque doleat, statim ab initio usque ad finem (εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς μέχρι τέλους), aptis institutis recte parata et acquisita est παιδεία, quo sensu dicitur virtus, cujus primo participes fiant pueri, (Civit. l. III. p. 402. A.) et prima praestantissimarum rerum, quae optimis hominibus adsit (Leg. l. I. p. 644. B.), virtus, quam recta institutione et assuetudine adipiscimur, rationem nondum adepti. Recte haec esse disputata, non tantum proxime sequentia docent, in quibus παιδεία diserte appellatur τὸ περὶ ἡδονὰς καὶ λύπας τεθραμμένον ὀρθῶς et de ipsius cum ratione agitur consensione, sed ea etiam affirmant, quae de corrigenda restituendaque disciplina in vita maximam partem remissa et corrupta libr. I. p. 644. B. et l. II. p. 653. D. disseruntur.

His expositis, quae interpretationi nostrae praemunienda esse duximus, totius loci sensum ita explicamus: Disciplinam igitur dico virtutem, quam pueri primo adipiscantur, si voluptas et amicitia et dolor et odium recte in animis insint, cum nondum ratione quicquam percipere possint, percepta autem ratione futurum sit, ut cum ratione consentiant, rectam videlicet consuetudinem aptis institutis partam, ita ut pueri convenientibus moribus instituti ea diligere et odio habere consueverint, quae diligenda et odio habenda ratio praescribat (Cf. l. II. p. 659. D.). Referenda igitur sunt verba ὀρθῶς εἰθίσθαι-ἐθῶν ad praegressa παιδείαν — ἀρετήν, per epexegesin addita. Articulus autem, quo egere videtur infinitivus, paullo insolentius, sed non sine exemplo omissus est: cfr. Euthyphr. p. 11. A. B. κινδυνεύεις — πάθος δέ τι περὶ αὐτοῦ λέγειν, ὅτι πέπονθε τοῦτο τὸ ὅσιον, φιλεῖσθαι ὑπὸ πάντων θεῶν.

Haec ratio si minus probetur, suaserim, ut conjectura Vigeri, τῷ ad infinitivum supplentis, firmata Ficini auctoritate recipiatur, quum veri dissimile non sit, istud τῷ postrema syllaba praecedentis vocabuli λόγῳ obscuratum esse, atque verborum sen-

tentiam ita explicuerim: Disciplinam dico virtutem, voluptatis videlicet et doloris sensus si recte puerorum animis ingeneretur, quum nondum ratione uti possint, ratione autem percepta, ei consentiat, quod recte excultus sit aptis institutis (Leg. l. V. p. 740. A. Matthiae Graec. Gramm. § 541. p. 1062.) ita ut *εἰθίσθαι* idem significet, atque *τετράφθαι*, quod paullo post legitur. Ceterum Astius Schulthessium secutus in sec. ed. haud recte interpretatus est verba *εἰθίσθαι ὑπὸ τῶν προσηκόντων ἐθῶν, se imbutos esse convenientibus moribus*, quod esset *εἰθίσθαι τὰ πρ. ἔθη*, cfr. l. III. p. 681. B. *ἑκάστην τῶν σμικρῶν παρεῖναι — ἔχουσαν αὑτῆς ἔθη ἄττα ἴδια — ἃ εἰθίσθησαν*. Euthyd. p. 275. C., quum verbum *ἐθίζειν* cum duplici construatur accusativo: Men. p. 70. B. *καὶ δὴ καὶ τοῦτο τὸ ἔθος ὑμᾶς εἴθικεν*. Leg. lib. IIII. p. 706. D.; sed *ἐθίζεσθαι ὑπὸ τῶν ἐθῶν* idem valet, quod *ἐθ. τοῖς ἔθεσι* aptis et convenientibus institutis educari, ut Civit. lib. VII. p. 522. A. coll. X. p. 606. A. *ἔθεσι παιδεύειν* dicitur. Quod vero Ficinus vertit: *propter superiorem bonorum* m o r u m *consuetudinem*, inde suspicari non debebat Boeckhius, legisse eum *ἠθῶν*, quum alterum illud *ἔθη* saepissime ita interpretatus sit, (leg. l. III. 681. A. l. IIII. 707. A. l. VII. 793. D. 807. D. 817. E. Epistol. VII. p. 325. D.) neque omnino haec interpretatio a vi et significatione vocabuli abhorreat.

Tum illud *αὑτῆς* offensioni erat interpretibus, quare Stephanus ex Ficino, qui vertit: *haec ipsa consensio*, legi vult *αὐτὴ θ' ἡ ξυμφωνία*. Eusebius habet *αὕτη ἔσθ' ἡ ξ.* unde Platonem corrigendum esse censet Vigerus; (margini injectum est *αὐτῆς θ' ἡ ξ.*) Boeckhius *αὐτὴ ἔσθ' ἡ ξ.* scribi jubet; Astius denique conjicit *αὕτη δέ*, omisso vocabulo *ἔσθ'*, quia otiosum sit et post *ξύμπασα* vel *ἀρετή* poni deberet.

Codices vulgatam tuentur omnes, nec quicquam mutandum esse videtur, si pronomen *αὑτῆς* ad *παιδείαν* refertur, ut *ξυμφωνία* sit disciplinae cum ratione consensio; id quod nihil habet offensionis, quum vox *ξυμφωνία* ad proxime antecedentia *συμφωνήσωσι τῷ λόγῳ* ita sit referenda, ut significetur ille sensus voluptatis et doloris cum ratione concentus, de quo paullo ante sermo fuit, in ipso autem hoc sensu bene exculto conformatoque posita sit disciplina. Quamquam haud scio, an difficultas, quae in his verbis inesse videtur, penitus tollatur atque oratio fiat concinnior et magis perspicua, si legatur *αὐτὴ δ' ἡ ξυμφωνία*, ut verba ita inter se cohaereant: Disciplina quidem cernitur in sensu voluptatis et doloris ita exculto ac temperato, ut cum ratione apprime consentiat: ipsa autem haec consensio est virtus.

Deinde vocem *ξύμπασα* cum *ξυμφωνία* conjungendam esse docuerunt Boeckhius et Astius, ut sit generalis consensio educationis et rationis, cui opponatur singularis ejus pars, quae *παιδεία* vocetur. Sed vereor, ut haec satis recte disputata sint; neque enim quid sit generalis consensio, quidque consensionis pars intelligitur, neque qui consensioni singularis pars opponi possit, nisi quis forte putat, *ξυμφωνίαν* significare res ipsas inter se consentientes sive disciplinam et rationem conjunctas, ut altera quidem pars recte opponatur; quo tamen concesso vocabulum *ξύμπασαν* redundare apparet. Sed ut paucis absolvam, *ξύμπασα* pertinet ad vocem *ἀρετή*. Hoc enim dicit

scriptor: Haec consensio voluptatis ac doloris cum ratione universa quidem est virtus, sed ea ipsius pars, quae cernitur in voluptatibus ac doloribus recte excultis, ita ut quis consueverit amare, quae amanda sint et fugere, quae fugienda, ab initio ad finem, haec est disciplina. Quemadmodum autem *παιδεία*, quae ponitur in hac recta consuetudine, appellata est virtus, quam primo adipiscimur rationis nondum compotes: ita integra atque universa dicitur virtus, quae nascitur, ubi ratio percepta et illa consuetudo cum ipsa in concentum redacta fuerit, et quum illa consuetudo pars quidem sit virtutis, recte etiam disciplina tanquam pars universae opponitur virtuti. Hinc apparet, vocabulum *ξύμπασα* conjungendum esse cum *ἀρετῇ*, ut significetur integra virtus ad singulas ipsius partes relata, simulque discernatur a disciplina, quae eadem paullo ante vocata est virtus. Saepe autem *ξύμπασα* vel *πᾶσα* dicitur *ἀρετή*, quum singulae species vel partes universae opponuntur virtuti (leg. l. I. p. 630. B. D. 632. E. l. II. p. 661. C. l. III. p. 688. A. B. 696. D. l. IIII. p. 705. D. 714. B. Civit. l. VI. p. 500. D. l. VIIII. 585. B. Men. p. 89. A. Lach. p. 199. E. Phileb. p. 63. E.)

Tum non necessaria est conjectura Vigeri *τετραμμένον*, quod in marg. Euseb. adscriptum reperitur, pro *τεθραμμένον* reponi jubentis, quum *τὸ δὲ περὶ τὰς ἡδονὰς κ. λ. τεθρ.* idem sit atque *αἱ τεθραμμέναι ἡδοναί*, quod paullo post legitur et significet partem (virtutis) in voluptatibus et doloribus recte excultis positam sive *decentem*, ut Ficinus vertit, *circa voluptates ac dolores assuetudinem*, quae pars est virtutis. Neque erat, quod Astius legi mallet *ἀποτεμὼν τοῦ λόγου*, ut esset: *separans a ratione s. seorsum a ratione spectans*, ducibus Ficino et Cornario, quorum alter vertit: *si per se ipsam seorsum ratione consideratam disciplinam vocaveris*, alter vero: *hanc si a ratione resecueris*; nam *λόγος* est oratio seu disputatio et *ἀποτεμὼν τῷ λόγῳ* oratione separans, non a ratione, sed ab universa virtute. *Ἄχρι*, quod habet Eusebius, apud Platonem nusquam legitur; nam Timae. p. 25. A. et Leg. l. X. p. 893. A. longe plurimi atque optimi codices pro vulgato *ἄχρι* praebent *μέχρι*.

Denique *δόξαν*, quod omittunt Euseb. et codices Platonici (excepto uno Veneto Ξ) omnes, praeeunte Heusdio (spec. crit. in Plat. p. 102.) recte deleverunt Boeckhius et Astius. Sic Civit. l. III. p. 397. D. *ἐὰν ἡ ἐμὴ, ἔφη, νικᾷ* et Politic. p. 291. C. *κατά γε τὴν ἐμήν* sine discrepantia legitur; Phileb. p. 41. B. unus Paris. H. in marg. habet *δόξαν*, quod Politic. p. 277. A. Florentini tres, Paris. C. H. cum Bas. 2 et a m. s. Venet. *Π* et Par. B. addunt, reliqui autem libri scripti et editi omittunt omnes; Leg. l. VIIII. p. 862. A. lectionem unice veram ac genuinam *ἐὰν ᾖ γ' ἐμὴ νικᾷ*, ab Ald. Bas. 1. 2. et duobus cod. Palat. (f) et Ricard. (𝔥), ut ex Bekkeri silentio colligo, servatam, sed a reliquis, qui hoc ellipseos genus non intellexerunt, varie corruptam, nec non a Stephano, Ficini, ut videtur, auctoritate permoto male mutatam, optime idem restituit Heusdius (l. l.), quem merito secuti sunt editores omnes.

Lib. II. p. 663. B.

Νομοθέτης δ' ἡμῖν δόξαν εἰς τοὐναντίον τούτου καταστήσει τὸ σκότος ἀφελών.

Codices Bekkeriani sex, Florentini omnes et Vossianus habent *δ' εἰ μὴ δόξαν,* sed Vossiani margo *δή μοι,* Ricard. (§) *εἰ μή* et pro varia lectione *δὲ τήν,* quod in margine quoque trium Florentinorum scriptum est; editiones omnes tenent vulgatam, quae ut per se sit haud improbabilis, tamen ut sit genuina, non sine caussa veremur. Nam illud *ἡμῖν,* quod hanc movet suspicionem, neque ullius libri scripti auctoritate firmatur, neque a Ficino agnoscitur, qui vertit: *quare vertigine tenebrisque ablatis in contrarium legislator opiniones civium ducet,* neque ad sensum prorsus est necessarium, quum ex antecedentibus nullo negotio intelligi possit *πᾶσι,* idque ipsum aptius esse videatur. Itaque haud scio, an scribendum sit: *δὴ τὴν δόξαν,* qua ratione sensui quoque optime consulitur. Sententiarum enim nexus hic est. Nemo sua sponte sibi persuaderi volet, ut agat hoc, quod non plus jucunditatis quam injucunditatis sequatur; caliginem vero id, quod procul conspicitur, omnibus omnino ac praecipue pueris offundit, ita ut justum, si e longinquo intueantur, a jucundo diversum esse opinentur atque id, quod justum est, injucundum, quod vero injustum est, jucundum ipsis videatur. Legum lator igitur hanc opinionem, ex adumbrata justi injustique specie conceptam caligine discussa in contrarium convertet, omnique modo persuadebit, injusta ab injusto ac malo spectata jucunda, justa vero injucunda apparere, sed a justo ac probo spectata utraque omnino contraria videri.

Hinc dubitari vix potest, quin particula *δή* ad nexum sententiarum significandum non tantum aptissima, sed fere necessaria sit, (legisse etiam videtur Ficinus, interpretatione certe expressit, nec non Astius, etsi ipse in textu habet vulgatam) articulum autem, quem nomini *δόξαν* addendum putavimus, sensus postulat. Ceterum neminem fugit, voculas *δή, δεῖ, δ' εἰ* et *δέ* saepissime a librariis esse permutatas. Conferas, si tanti est, Bekkeri comment. critic. in Plat. Leg. p. 318. v. 1., ubi vulgo male *δεῖ* pro *δέ* legitur; p. 356. v. 9. ubi libri omnes perperam, ut videntur, *δεῖ* pro *δή* scribunt; p. 301. 11. 222. 4., 254. 8., 256. 21., 356. 18.; *δέ* et *δή* commutata vide p. 256. 6. 21, 364. 16, 186. 1, 236. 19, 237. 21, 238. 21; *δέ* pro *δ' εἰ* vitiose vulgata cum cod. nonnullis p. 209. v. 6. et *δή* pro *δέ* Paris. A. p. 364. 21.

Lib. III. p. 685. D.

Πρὸς δὴ ταῦτα πάντα ἡ τοῦ στρατοπέδου τοῦ τότε διανεμηθεῖσα εἰς τρεῖς πόλεις κατασκευὴ μία ὑπὸ βασιλέων ἀδελφῶν, παίδων Ἡρακλέους, καλῶς ἐδόκει ἀνευρημένη καὶ κατακεκοσμημένη καὶ διαφερόντως τῆς ἐπὶ τὴν Τροίαν ἀφικομένης.

Ita ex vulgata scribendi ratione; sed codices omnes et Bekkeriani et Florentini pro *ταῦτα* legunt *ταύτην* et ante *ἐδόκει* inserunt *ὡς*, quod veteres quoque editiones, Ald. Lov. Bas. 1. et 2. tuentur, Stephanus vero delevit.

Miror, editores codicum lectionem, quae quamvis paullo sit impeditior, tamen sensum praebere videatur haud improbabilem, respuisse omnes, vulgatam pertinaciter retinentes. Nemo enim non videt,pronomen *ταύτην* apte referri ad *ἐκείνην τὴν συσταθεῖσαν σύνταξιν*, cujus paullo ante mentio est facta, significarique ipsam illam barbarorum potentiam, contra quam hujus exercitus apparatus optime inventus ac dispositus fuisse dicitur. Quemadmodum nos nunc, inquit Socrates, magnum regem timemus, ita tum illius aetatis homines conjunctam Assyriorum, secunda Trojae expugnatione graviter offensorum potestatem formidabant; adversus hanc igitur exercitus ille praeclare videbatur instructus, quo injurias, si quas barbari Graecis inferrent, protenus defenderent ac repellerent.

Ita legit locumque cepit Ficinus quoque, qui vertit: *adversus igitur eam potentiam in tres divisus civitates exercitus a fratribus, Herculis filiis, tunc regnantibus, optime atque ornatissime factus videbatur.* Neque profecto intelligitur, cur librarii illud *ταῦτα*, in quo nihil plane inest offendiculi, mutaverint in *ταύτην*, praesertim quum statim subsequatur *πάντα*, quod hac mutatione facta multo sane difficilius erat ad explicandum. Immo longe veri similius est, *ταύτην* fuisse genuinum, sed propter sequens *πάντα*, quod, quo referrent, quum non haberent, ad praecedens pronomen adjungendum putarent, mutatum esse in *ταῦτα*. Referendum autem est ad participia *ἀνευρημένη* et *κατακεκοσμημένη*, ut sit accusativus, per omissam praepositionem *κατά* vulgo explicatus (Euthyd. p. 292. C. Theaet. p. 194. E. Timae. p. 30. D. Epinom. p. 985. A. Xenoph. Anab. I., 3. 10) cui optime respondent sequentia, quibus quae hac voce universe ac generatim significantur, accuratius et uberius explicantur, ac singulae, quibus ille exercitus praestiterit, deinceps enumerantur virtutes. Sensus igitur est: adversus hanc (potentiam) omni ex parte hic exercitus apparatus praeclare inventus videbatur meliusque instructus, quam qui adversus Trojam profectus erat; primum enim Heraclidas Pelopidis meliores habere duces, deinde hunc exercitum illi virtute praestare putabant.

Jam illud *ὡς*, quamvis otiosum molestumque videatur, atque animum ultro dubitatio subeat, an ex postrema syllaba antecedentis vocabuli *καλῶς* male repetita ori-

ginem ducat: tamen invitis libris omnibus non temere ejiciendum esse arbitramur. Inest enim in verbis anacoluthia quaedam et participia *ἀνευρημένη* et *κατακεκοσμημένη* posita sunt pro verbis finitis, quasi praecesserit *ἐδόκει* sine particula *ὡς*. Quemadmodum saepissime infinitivi a sententiis, in modum parentheseos interpositis: *ὡς δοκεῖ, ὡς ἔοικε, ὡς οἶμαι, ὥς φασι* pendent, ut Sophist. p. 263. D. *περὶ δὴ σοῦ λεγόμενα μέντοι θάτερα ὡς τὰ αὐτὰ καὶ μὴ ὄντα ὡς ὄντα παντάπασιν, ὡς ἔοικεν, ἡ τοιαύτη σύνθεσις ἔκ τε ῥημάτων γιγνομένη καὶ ὀνομάτων ὄντως τε καὶ ἀληθῶς γίγνεσθαι λόγος ψευδής*. Euthyd. p. 280. D. Cratyl. p. 399. D. *ὥσπερ τοίνυν μοι δοκεῖ, τούτοις ἑξῆς εἶναί τι χρῆμα*. Gorg. p. 482. D. *καί σου καταγελᾶν, ὥς γέ μοι δοκεῖν, ὀρθῶς τότε* (ubi recipiendum esse *κατεγέλα*. quod unus offert Vindob. *Y*, cujus tamen in margine *γρ. καταγελᾶν* notatum est, et pro varia lectione exhibet Paris. V, nobis non persuaserunt interpretes; conf. Bernhardy Syntax. p. 464.) Cratyl. p. 384. C. Phaedr. p. 272. D. Gorg. p. 453. B. Euthyphr. p. 4. D. Phileb. p. 20. D. Politic. p. 283. E.; (de loco Civit. l. I. p. 347. A ab aliis huc relato vide, quae disputavit Schneiderus): ita h. l. participia, quae infinitivorum loco posita sunt, quo minus ab interjectis verbis *ὡς ἐδόκει* suspensa atque duas constructiones in unam conflatas esse statuamus, nihil obstare videtur; qua de loquendi consuetudine quum alii copiose disputarint (vid. Heindorf. ad Soph. § 105. Ast. ad Phaedr. p. 272. D. Stallbaum. ad Phileb. p. 46. Wesseling. ad Herod. l. IIII. c. 5. Erfurdt. ad Soph. Antig. v. 736. Siebel. ad Paus. l. VIII. 12. 2., Matth. Gramm. § 538. Not. 2. p. 1059. Bernhardy l. l.) non est, quod verbum addamus.

Lib. IIII. p. 709. E.

Τί μετὰ τοῦτ' εἰπεῖν ὀρθῶς ἔστιν; ἆρα τοῦ νομοθέτου φράζωμεν τοῦτο; ἢ γάρ; ΚΛ. Ναί.

Ἐστίν, quod vulgo legebatur, bene correxit Astius (vide Heusd. spec. crit. p. 6. Schneider. ad Civitat. Vol. III. l. VIIII. p. 158. b. Stallbaum. ad Euthyphr. p. 2. C; Matth. Gramm. § 309. p. 613.), sed alia eaque graviori locus laborare videtur corruptela. Extrema sunt verba *ἆρα — ἢ γάρ*, quae non immerito hanc suspicionem moverunt interpretibus. Nec vero grammatica est ratio, qua potissimum offendatur aliquis in his verbis, sed sensus, qui inde efficitur haud idoneus nec ejusmodi, quem orationis cohaerentia requirat. Sententiarum enim nexus hic est: Socrates, qui legum latorem, quem praesentem ac sermonis participem fingit — id quod saepissime a Platone factum (Gorg p. 451. A. 452. A. 454. D. 455. D. 469. D. E. 481. A. 515. A. 521. E. Protag. p. 311. B. 318. C. 330. C. 353. C. 361. A. Criton. p. 50. C. Theaet. p. 162. D. 166. A. 188. D. 195. C. 203. A. Theag. p. 125. B) non offendere debebat Zellerum (Stud. Platon. p. 79.) — qualem esse velit civitatem, quae sibi sit tradenda, ut deinde ipse suam constituat civitatem, inter-

rogavit, quid ad hoc recte respondere possit legum lator, expositurus ita pergit: *quid recte deinde dicetur? an legum latoris responsio afferri debet?* Sic Ficinus verba interpretatus est, quo duce Astius inserta vocula *τό* ante genitivum *τοῦ νομοθέτου* locum ita constituit: *ἆρα τὸ τοῦ νομοθέτου φράζωμεν; τοῦτο, ἢ γάρ;* ad *τοῦτο* e praegressis *ὀρθῶς ἔστιν εἰπεῖν* repeti jubens. Sed ut praetermittam, ex hac orationis brevitate, allato loco (lib. II. p. 658. D.), cujus alia videtur esse ratio, haud satis defensa, novam quandam suboriri difficultatem, neque illud *τοῦτο*, ita positum, cum antecedentibus apte cohaerere: vehementer dubito, num hac etiam ratione sensus totius loci egregie adjuvetur subleveturque. Nam hoc si interrogat Socrates: „quid deinceps recte dicetur? an quod legum lator respondebit, proferamus? hoc recte dici potest, nonne?“ id Clinias non simpliciter affirmare poterat, sed quaerere debebat: quid illud sit, quod recte dici possit ex mente alterius, neque igitur *ναί*, quod absurdum, sed *τὸ ποῖον* respondere rationi erat consentaneum, quod sexcenties reperitur, ubi is, qui loquitur, ut audientis animum ad id, quod est dicturus, convertat, pronomine, quod vocant praeparativo usus est: lib. II. p. 659. C. *τί ποτ' οὖν ἡμῖν τὰ νῦν αὖ διαπερανθέντα τῷ λόγῳ σημαίνειν βούλεται; σκοπεῖσθ' εἰ τόδε. ΚΛ. Τὸ ποῖον;* l. IIII. p. 711. B. *καὶ μὴν τοῦτο γ' ἂν ἴδοις ἐν αὐτῇ τὸ νῦν δὴ λεγόμενον. ΚΛ. Τὸ ποῖον;* p. 711. D. 715. A. 718. C. 719. B. 722. C.

At haec ipse probe intellexisse videtur vir doctissimus, qui in sec. editione illud *τοῦτο* ejiciendum esse censebat, consentiente Stallbaumio, cui etiam illa *ἢ γάρ* aliunde huc irrepsisse videntur. Sed haec conjectura ideo nobis non probatur, quod libri omnes verba suspecta constanter tuentur, nec ulla videtur caussa, cur a librariis addita sint. Codices enim nihil variant, nisi quod Bekkeriani sex et correctus Paris. A *φράζομεν*, praebent, quod in veteribus quoque editionibus legitur, unde sane nihil proficimus, quum conjunctivum in hac verborum structura legitimum (Matth. Gramm. § 576. Not. 2—4. Bernhardy Syntax. p. 396. Kühner. Gramm. Vol. II. § 464) atque exemplis abunde firmatum (Leg. l. I. p. 627. A. 631. A. 633. C. l. II. 654. C. 655. C. 657. C. lib. III. p. 676. A. 677. C. 697. A.) sed saepe a librariis depravatum (vid. Bekkeri comment. crit. p. 189. 18., 208. 14., 234. 1., 236. 22., 241. 19., 261. 22., 284. 11., 345. 9., 247. 20.) nemo quisquam sollicitaverit. Mox Florentini omnes una cum Ald. Lov. Basil. 1. et 2. *ἄρα* pro *ἆρα* praebent, neque abest suspicio, quin idem in nonnullis Bekkeri libris exstet, quamquam ipse silet.

Hac lectione recepta locum ita constituerim: *Τί μετὰ τοῦτ' εἰπεῖν ὀρθῶς ἔστιν ἄρα τὸν νομοθέτην; φράζωμεν τοῦτο; ἢ γάρ;* Quid ad hoc igitur recte respondere potest legum lator? Dicamusne hoc? (sc. quod responsurus sit) Nonne? *) Sic oratio optime procedit et singula membra aptissime inter se cohaerent. Accedit, quod

*) De verborum structura vide, quos supra laudavimus. Scribi fortasse etiam possit *τῷ νομοθέτῃ*, sed altera ratio, quippe quae sit exquisitior aptiorque, praeferenda videtur.

hac ratione verba cum praegressis melius artiusque conjunguntur atque omnino oratio redditur concinnior. Nam quum legum latorem Socrates allocutus sit, et qualem ipse sibi tradi velit civitatem, interrogaverit, minus apte quaerit, quid omnino ad hanc interrogationem recte responderi possit, sed quaerere debebat, quid ille, quem interrogavit, esset responsurus. Conferas similes locos l. I. p. 629. D. E. 648. A. 649. A. l. II. p. 662. D. l. VII. p. 817. A. 830. A. l. VIIII. p. 860. E. Theag. p. 125. C. Ceterum veri dissimile non est, frequenti in libris manu scriptis syllabarum $\overline{o\nu}$ et $\overline{ov}$ permutatione articulum depravatum nominis quoque depravationis ansam dedisse, quamquam aliae etiam hujus loci, quippe qui ad intelligendum paullo difficilior sit, a librariis corrupti excogitari possunt caussae. Quod vero *ἄρα* pro *ἀρα* scripsimus, id crimini nobis verti non posset, etiamsi omnes dissentirent libri, quoniam in accentu nulla sunt codices auctoritate (cfr. Schneider. ad Civitat. Vol. I. p. 113. a.) atque hoc potissimum vocabulum mutationi isti expositum est (cf. Civ. Vol. III. l. VIII. p. 64. a., 66 a., 67. b., 70. a., 72. a., 76. b., 78. a., 79. b. ed. Schneider.) Nec magis reprehendendus esse videtur Bekkerus, qui lib. I. pag. 649. C. adversante quidem optimorum librorum auctoritate, sed postulante sensu pro *ἄρα* reposuit *ἀρα*, Astio frustra *εἰ* inserendum conjiciente. De positione autem particulae, ab initio membri longius remotae conferas Leg. lib. III. p. 677. D. *ὅτι μὲν γὰρ μυριάκις μύρια ἔτη διελάνθανεν ἄρα τοὺς τότε.* Civit. l. IIII. p. 445. B. *τῆς δὲ αὐτοῦ τούτου, ᾧ ζῶμεν, φύσεως ταραττομένης καὶ διαφθειρομένης βιωτὸν ἄρα ἔσται* Gorg. p. 487. A. *ἐννοῶ γὰρ, ὅτι τὸν μέλλοντα βασανιεῖν ἱκανῶς ψυχῆς πέρι ὀρθῶς τε ζώσης καὶ μὴ τρία ἄρα δεῖ ἔχειν* p. 508. C. *καὶ τὸν μέλλοντα ὀρθῶς ῥητορικὸν ἔσεσθαι δίκαιον ἄρα δεῖ εἶναι* Gorg. p. 524. D. *ταὐτὸν δή μοι δοκεῖ τοῦτ' ἄρα καὶ περὶ τὴν ψυχὴν εἶναι* Politic. p. 306. A. *ἡ χαλεπὸν ἐνδείξασθαι πρᾶγμα ἀναγκαῖον ἄρα γέγονεν, ὡς φαίνεται.* Sympos. p. 177. E. *ταῦτα δὴ καὶ οἱ ἄλλοι πάντες ἄρα ξυνέφασάν τε καὶ ἐκέλευον ἅπερ ὁ Σωκράτης* (ubi Wyttenbach. Bibl. Crit. I. p. 39. sine caussa *ἅμα* scribere malebat.) Alia Heindorfius ad Protag. § 110. et Stallbaumius ad Symp. l. l. collegerunt exempla, ex quibus unum ex Aristophanis Ecclesiaz. (v. 91.) depromptum huc transscribere placet: *Τί γὰρ ἂν χεῖρον ἀκροῴμην ἄρα ξαίνουσα;* Verba denique *φράζωμεν τοῦτο; ἦ γάρ;* eodem modo dicta sunt quo haec: (lib. II. p. 654. A.) *πρῶτον δὲ τοῦτο ἀποδεξώμεθα; θῶμεν παιδείαν εἶναι πρώτην διὰ Μουσῶν τε καὶ Ἀπόλλωνος; ἢ πῶς;* et p. 654. C. *πότερον εἰ καὶ καλὰ ᾄδει καὶ καλὰ ὀρχεῖται; προσθῶμεν; ἢ μή;* Illa autem *ἦ γάρ;* satis muniuntur loco ab Astio laudato (lib. II. p. 658. D. coll. Soph. p. 248. A.) ac nihil jam habebunt offensionis, si ad vocabulum *τοῦτο* interrogandi signo sublato plenius interpunxeris, ut sensus sit: quid igitur ad hoc recte respondere potest legum lator? Afferamus hoc. nonne? Leg. l. III. p. 694. A. *Ἀθηναῖοι δὲ καὶ Πέρσαι τὸ μὲν πάλαι οὕτω πως, τὰ δὲ νῦν δὲ ἧττον. τὰ δ' αἴτια διέλθωμεν. ἦ γάρ;*
